

Dilexit nos Deus.

Léctio Epístolæ primæ beāti Ioánnis apóstoli

4, 7-16

- ⁷ Caríssimi, diligámus ínvicem,
quóniam cáritas ex Deo est;
et omnis, qui díligit,
ex Deo natus est et cognóscit Deum.
- ⁸ Qui non díligit, non cognóvit Deum,
quóniam Deus cáritas est.
- ⁹ In hoc appáruit cáritas Dei in nobis,
quóniam Fílium suum unigénitum
misit Deus in mundum,
ut vivámus per eum.
- ¹⁰ In hoc est cáritas,
non quasi nos dilexérimus Deum,
sed quóniam ipse diléxit nos
et misit Fílium suum
propitiatiónem pro peccátis nostris.
- ¹¹ Caríssimi,
si sic Deus diléxit nos,
et nos debémus altérutrum díligere.
- ¹² Deum nemo vidit umquam;
si diligámus ínvicem,
Deus in nobis manet,
et cáritas eius in nobis consummáta est.
- ¹³ In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus,
et ipse in nobis,
quóniam de Spíritu suo dedit nobis.
- ¹⁴ Et nos vídimus et testificámur
quóniam Pater misit Fílium salvatórem mundi.
- ¹⁵ Quisque conféssus fúerit: «Iesus est Fílius Dei»,
Deus in ipso manet, et ipse in Deo.

¹⁶ Et nos, qui credídimus,
nóvimus caritátem, quam habet Deus in nobis.
Deus cáritas est;
et, qui manet in caritáte, in Deo manet,
et Deus in eo manet.